Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-512261-p0001-1

Db, 12.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-512261-p0002-6

65

HOSTES
RESVRRECTIONIS
SCHOLA EPISCOPALIS
A. D. XXVII APRIL. POST PRECES MERIDIANAS
ORATORIO CERTAMINE
OPPVGNABIT.
AD AVDIENDVM
OFFICIOSE INVITAT
RECTOR
M. CHRISTOPHORVS CELLARIVS.

CIZAE
Exscripsit Fridem. Hetstädt/Ducal. Sax. Numb. Typogr.

944.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-512261-p0004-7

RESurrectionis mortuorum, quam Christianorum spem Tertullianus dixit, multos variosque irrisores esse, ex veterum historiarum monumentis non minus, quam nostrorum temporum experientia constat. Non est, quod paganos homines & extra ecclesiæ lucem in densis tenebris oberrantes miremur; plus indignationis mouent, qui sacras scripturas edocti vel omnem resurrectionem negatum eunt, vel tantummodo eiusdem carnis restitutionem. Sadducæos intelligo & Photinianos: nam cum Atheis via alia aliisque armis congrediendum est. Nec tamen hos inultos relinquent nostrates Musæ, sed omni studio, cura & ratione conquirent, quo non tantum horum pertinacia refringi possit, sed & Sadducæorum Photinianorumque confutari impudentia. Quod cum aliis ex nostra schola impositum munus sit, nostrarum partium existimamus esse, aliam arenam ingredi, quæ minus quidem laboris in se habere videtur, reuera autem si non plus difficultatis præbet, tamen haudquaquam leuior dictis est cer-

certaminibus. Inde ab Hieronymi ætate, quod certo constat, in ecclesia creditum fuit, Iobum tot malis exercitatum futuram resurrectionem spe indubitata professum fuisse, fideique inconcussæ ostendisse exemplum prorsus singulare. Iste Stridoniensis doctor Epistola CIII ad Paullinum cap. VII *Iobus*, inquit, *resurrectionem corporum sic prophetat, vt nullus de ea vel manifestius vel cautius scripserit.* Repugnat tota Iudæorum synagoga, ex Christianis etiam eruditissimi viri, qui cum Iudæis de fide in Deum eiusque stabilitate interpretantur, quæ Hieronymus verba de resurrectionis fide exposuerat. Primum Iudæorum opinionem ex ipsorum verbis audiemus: deinde quid Christianos quosdam in dubitationem rapiat, perinde examinabimus. Et verum est, & magnopere etiam mirandum, in tanto Rabbinorum numero & in ceteris rebus toties dissentiente, neminem, quod constet, vnquam fuisse, qui Iobi oraculum de resuscitatione mortuorum interpretatus fuerit, quam ipsi ad vnum omnes confitentur, & ex aliis Scripturæ sanctæ locis egregie confirmant; in sola Iobi sententia quiduis aliud intelligunt, quam quod inde plerique eliciunt Christiani. R. Leui Ben Gersom commentario in Iob. XIX ita Iudæorum mentem de commate

mate xxv :interpretatur , כי אני ידעתי כי חי גואלי
נפשי ומציע לה הגלתה אחר הוא חי וקיים לנצח , וידעתי האחרון אחר על עפר
יקום והוא ה׳ ית׳ ל׳ שהאחרון מהפועלים הנלבים על הארץ הוא ה׳ ית׳ וקרצו
לאחרון להיותו לאחרון אצל תקירתינו כי לאנשו בתחיל מן המאוחר ונלך ממנו אל
הקודם ולמנם הוא הראשון במציאות , ולפעד שיהיה לומרו ולאחרון על עפר יקום
מורה על הנלחות והקיום על דרך לומרו אני ראשון ואני לאחרון ולמנם הביאור
הראשון נכון יותר מלד העניין ומלד הלשון *Cognosco eum, qui liberat animam meam eiusque felicitatem promouet, viuum & stabilem in æternum esse: cognosco etiam postremum illum, qui super terram persistet, atque is Deus benedictus est, quasi dicat, postremum agentium, quæ super terram sunt, Deum fore, quem vltimum vocat, quia postremus est cognitione nostra qui* [cogitando] *incipimus a posteriori, & progredimur ad priora, & certo iste primus in essentiu est. Aut potest sensus verborum esse,* POSTREMVS SVPER PVLVEREM STABIT, *vt ad victoriam & æternitatem respiciatur eo modo, quo dictum est:* EGO PRIMVS ET NOVISSIMVS. *Verum interpretatio prior propius ad sensum & genium linguæ accedit.* Videmus hinc Iudaicum ingenium & modum interpretandi, a quo parum recedunt R. AbenEsra, R. Meir auctor commentarii Meir Iob, & auctores commentariorum, qui Mischpath Zedek, & Ohef Mischpath appellantur, quamquam hi posteriorem potius sententiam, quam subtiliorem alteram Ralbagi, secuti esse intelligantur. Hæc de commate xxv sufficiant: sequentis etiam vt specimen adferatur interpretandi, non alienum a nostro proposito erit. Recentissimus R. Abendana Spicilegio ad Michlal Iophi h. l, ועמ ומבארי קצוה קלוה כלומר מבארי קרקה

ומכתו י *ſenſus verborum*, EX CARNE MEA VIDEBO DEVM, ex carne mea ſentiam *manum Dei & percuſſionem eius*, quæ ab eodem R. Leui videtur hauſiſſe, qui pari modo ומכתו י *plagam & percuſſionem*, expoſuit, quod Chriſtianis dulciſſimo ſolatio eſt. Nihil ſic de carnis reſurrectione, nihil etiam de ipſius Meſſiæ in Iudæorum commentariis inuenitur. Sequuntur illos ex Chriſtianis non pauci, neque ii ex infimo grege, ſed qui ingenii & doctrinæ fama præ multis eminent, Io. Mercerus, Hugo Grotius, Ger. Io. Voſſius, cuius auctoritate etiam Menaſſe Ben Iſrael Reſurr. Mort. p. 25 gloriatur. Grotius in h. l. *Chriſtiani*, inquit, *non pauci eo vſi ſunt ad probandam reſurrectionis fidem, ſed vt id facerent, coacti ſunt in verſionibus ſuis multum ab Ebræo diſcedere.* Diſcrepare verſiones ab Ebræa αὐθεντία, non negamus: nihil autem in Ebræo eſſe, quod Chriſtianæ ſententiæ faueat, hoc non facile conceſſerimus. Si enim ſingula verba vel ex propria linguæ indole, vel ex communi interpretum conſenſu expendantur, tantum abeſt, vt cauſſa inde ſua Chriſtiani cadant, vt potius præſidium ex Iobi confeſſione haud vulgare accipiant. SCIRE ſe ait Redemtorem ſuum viuum. An inuſitatum, ידע de *fide & fiducia* firmiſſima exponere? dubitantem Eſaias cap. LIII conuincet ברעתו *per ſcientiam ſui*, inquiens, Meſſias multis

iuſti-

iuſtitiæ auctor erit. REDEMTORIS nomen Meſſiæ peculiare eſt Gen. XLVIII, 16. Eſa. LIX, 20. Hoſ. XIII, 14, quia ille גואל הרם *vindex* noſtri *ſanguinis* eſt, conſanguinitate nobis coniunctiſſimus. POSTREMVS verti poteſt *nouiſſime, poſt multa ſæcula.* Nam mos Scripturæ Sacræ eſt, Meſſianum tempus vocare אחרית הימים *extremum dierum*, Eſa. II, 2, Mich. IV, 1. quod adeo certum eſt, vt Kimchi ad vtrumque locum notauerit, כל אחרית הימים סם ימות המשיח *vbicunque* in poſtremo dierum *legitur, ſignificantur dies Meſſiæ.* יקום cur non æque RESVRGET vertemus, quam cum Iudæis *ſtabit, permanebit?* nota Eſaiæ verba, *mortui tui* יקומו *reſurgent*; nota ipſius vox Seruatoris, ταλιθα κουμι, qua puellam mortuam reſuſcitauit. עפר autem *ſepulcrum* ſonat etiam Iobi XVII extremo, vbi cum שאול coniungitur, quod Chaldæus vertit קבורתא *ſepulcrum*: & cap. XX, 11. XXI. 26, vbi ſimul vermiculorum ſepulcralium fit mentio, vt de Eſa. XXVI, 19. Dan. XII, 3 taceamus. Sic de Chriſti reſurrectione, ex qua noſtra pendet, Iobus, etiam Hieronymo Epiſt. LXI ad Pammachium, cap. X interpretante, diſſerit. *Sperat*, inquit, *reſurrectionem* [Iobus] *immo nouit & vidit, quod viuit Chriſtus redemtor eius, & in nouiſſimo die de terræ reſurrecturus ſit. Necdum mortuus erat Dominus, & athleta eccleſiæ redemtorem ſuum videbat ab inferis reſurgentem.* Sed ad reliqua pergimus: POST CVTEM MEAM, vt אחר vim Præpoſitionis habeat, quemadmodum ſæpe: PERFORARVNT HOC. Verbum נקפו occaſio diſſenſus in verſionibus fuit, quæ *circumdari* intulerunt, quaſi a נקף eſſet: verius AbenMelech in Michlal Iophi מכוין פיעל הדגוש עכין ונרמז ex dageſchata Piel eſt, *notatque læſionem.* Etiam AbenEſra & auctor Ohef Miſchpath tribuunt עכין מגורת

notio-

notionem excisionis, & ad Esa. x, 34 prouocant. זאת HOC autem Ralbag העצם *ossa*, Aben Esra עצמי ובשרי *ossa & carnem meam* interpretantur, siue quidquid post cutem latet. Δεικλικῶς Iudæi exponunt in Ohef Mischpath וזאת העצם אשר אני מראה לכם או זאת הקתיכה על נשר כי היה לוקח נידו *Hoc ipsum, quod vobis ostendo, aut hæc carnis particula, nam manu illam prehendebat.* EX CARNE MEA, iam putrida & in sepulcro corrumpenda, ex eadem inquit VIDEBO Deum & Messiam meum a mortuis resuscitatus. Hunc OCVLI MEI intuebuntur, neque ad hanc beatam visionem זר ALIENVS admittetur, siue ἀπηλλοτριωμένος τῆς πολιτείας τοῦ Ισραὴλ, sed qui Goeli suo addictus est vnice. Sic ostendimus vulgarem Christianorum sententiam, quod multi timuerunt, Ebraismo non repugnare. Enjedinus liberationem ex morbo intelligit. At vero huius spem dudum Iobus abiecerat comm. x huius capitis, & cap. XVII, 1 קברים לי pro certissimo enunciat, hoc est Raschi interprete מוכן אני לקבר *paratus & proximus sepulcro sum.* Sed ad nostros reuertendum, quorum caussa hæc præfati sumus. Hi verba in Lyceo nostro vltima consensu superiorum facturi, ita noluerunt extra illud quidquam proferre, quod hoc tempore ecclesia meditatur, vt dissentientes quoque impugnare, & persequi statuerint. IO. ergo GEORGIVS Medel/ Tauchensis, in atheos & gentiles, resurrectionem negantes, inuehetur: IO. PAVLVS Schumann/ Cizensis, in Sadducæos: tandem IO. ABRAHAMVS Lehn/ Zipsendorfiensis, aduersus Photinianos stilum stringet. His auditores frequentes aduocamus, & quod rite dimittendi sunt, ea adprecamur, quæ bene cœpta illorum studia ad felicissimum finem Deo bene iuuante, possint perducere. P. P. Cizæ VI Kal. Mai. CIↃ IↃC LXXXVIII.

No 3165
S 8°

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-512261-p0012-2

B.I.G.
3/Color Black
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue
Farbkarte #13
Centimetres
Inches

65

ES

CTIONIS

COPALIS

RECES MERIDIANAS

RTAMINE

BIT.

NDVM

NVITAT

R

S CELLARIVS.

l. Sax. Numb. Typogr.

944.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-512261-p0013-7